



Patriarchatus Latinus- Ierusalem
البطريركية اللاتينية الأورشليمية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

Die 16 Decembris

S. David, regis et omnium sanctorum Avorum D.N.I.C.

Memoria

Ant. ad introitum

Iurávi David servo meo: «Usque in ætérnum confirmábo semen tuum et ædificábo in generatióne et genera-tiónem sedem tuam».

Collecta

Dómine Iesu, qui filius David factus es,
ut filii Dei nominémur et simus,
da nobis quæsumus:
in spiritu adoptiónis ita profícere,
ut filiorum glóriam consequámur ætérnam.
Qui vivis.

Ps. 88, 4

Léctio libri primi Samuélis

16, 1b. 6-13 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Samuélem: «Imple cornu tuum óleo et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem; provídi enim in fliis eius mihi regem.

Cumque ingréssus esset, vidi Eliab et ait: «Num coram Dómino est christus eius?»

Et dixit Dóminus ad Samuélem: «Ne respícias vultum eius neque altitudinem statúræ eius, quóniam abiéci eum, nec iuxta intútum hóminis ego iúdico; homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor». Et vocávit Isai Sam-ma, de quo ait: «Etiam hunc non elégit Dóminus».

Addúxit itaque Isai septem filios suos coram Samuéle, et ait Sámuel ad Isai: «Non elégit Dóminus ex istis».

Dixítque Sámuel ad Isai: «Numquid iam compléti sunt filii?». Qui respóndit: «Adhuc réliquus est párvulus et pascit oves».

Et ait Sámuel ad Isai: «Mitte et adduc eum; nec enim discumbémus priúsqam huc ille véniat». Misit ergo et ad-dúxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspéctu decoráque fácie.

Et ait Dóminus: «Surge, unge eum; ipse est enim».

Tulit ergo Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum eius et diréctus est spíritus Dómini a die illa in Da-vid et deínceps.

Verbum Dómini.

LECTIO PRIOR (propr.)

«Surge, unge parvulum: ipse est enim.»

PSALMUS RESPONSORIUS (propr.)

Ps 109 1. 2. 3. 4. (R.: ps 20, 4a)

Rv. Prævenísti eum in benedictiónibus dulcéinis.

1 Dixit Dóminus Dómino meo: «Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum. Rv.

2 Virgam poténtiæ tuæ emítte Dóminus ex Sion:
domináre in médio inimicórum tuórum. Rv.

3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rórem génuí te. Rv.

4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
«Tu es sacérdos in æténum
secúndum órdinem Melchísedech.

vel PSALMUS RESPONSORIUS (propr.) Ps 131, 1-2. 9-10. 11. 12. 17-18(R.)

Rv. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius.

1 Meménto, Dómine, David et omnis mansuetúdinis eius.
Quia iurávit Dómino, votum vovit Potéti Iacob. Rv.

2 Sacerdótes tui induántur iustítiam, et sancti tui exsúltent.
Propter David servum tuum non avértas fáciem christi tui. Rv.

3 Iurávit Dóminus David, véritas est, et non recédet ab ea:
«De fructu ventris tui ponam super sedem tuam». Rv.

4 Si custodíerint filii tui testaméntum meum,
et testimónia mea quæ docébo eos,
filii eórum usque in sǽculum sedébunt super sedem tuam. Rv.

5 Illic germináre fáciam cornu David,
parábo lucérnam Christo meo.
Inimícos eius índuam confusióne,
super ipsum autem efflorébit diadéma eius. Rv.

ALLELUIA

Mt 21, 9

Rv. Alleluia ♀. Hosánnā Fílio David: Benedíctus qui venit
in nómine Dómini. Rv. Alleluia.

EVANGELIUM (propr.)

«Christus, fílius David, est Dóminus eius»

† Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 22, 41-46 a
In illo témpore :

Congregátis Pharisæis, interrogávit eos Iesus, dicens:
«Quid vobis vidétur de Christo? Cuius fílius est?»

Dicunt ei: «David».

Ait illis: «Quómodo ergo David in Spíitu vocat eum
Dóminum, dicens : «*Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a
dextris meis donec ponam inimícos tuos sub pédibus tuis?* Si
ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius eius est?»

Et nemo póterat respondére ei verbum.

Verbum Dómini.

Super oblata

Menénto, Dómine, testaménti tui
et suscéptis munéribus in beáti David commemoratióne delátis,
præsta: ut, illum peccántem secúti, et pæniténtem imitémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Lc 1, 69

Eréxit Dóminus cornu salútis nobis in domo David púeri sui.

Post communionem

Beátorum Dómini nostri Iesu Christi avórum memóriam
divíno convívio celebrántes,
te, Pater sancte, depóscimus:
ut pane illo refécti ac roboráti,
Unigéniti tui advéntum digne præstolémur.
Per Christum.

